

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Türkische Texte mit französischer Übersetzung - Cod. St. Märgen 1

[Straßburg?], [um 1720]

Caput sextum

[urn:nbn:de:bsz:31-161021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-161021)

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
19	20	21	22	30	31	40	50	60	70	80	90	100	1000	1676			

& sic cætera.

Tandem concludunt suum Abecedarium sequentibus oratiunculis, aut saltem primâ ex illis:

سُبْحَانَكَ اللَّهُمَّ وَبِحَمْدِكَ وَتَبَارَكَ اسْمُكَ وَتَعَالَى جَدُّكَ وَجَلَّ تَنَائُوكَ وَلا إِلَهَ غَيْرُكَ

sühâne kallâhümme we bihamdike we tebäreke -smükke we te-älâ geddüke we gelle senâ-ükke we lâ ilâhe ghajrüke; Quod ferè sic reddi potest: Lauderis & magnificeris ò Deus, & benedictum sit nomen tuum, & exaltetur gloria tua, & propaletur laus tua, nec est Deus præter te.

أَعُوذُ بِاللَّهِ مِنَ الشَّيْطَانِ الرَّجِيمِ بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ

a-üzü billâhî mines-sejtânir-regîm, i. e. Confugio ad Deum, ut me defendat aut liberet à Satana seu cacodæmone execrabili; & bismillahir-rahmânir-rahîm, h. e. In nomine Dei misericordis, miseratoris. Et hanc quidem ultimam ferè semper habent in ore in inchoatione cujuslibet operis, non secus ac olim boni Christiani, facto signo crucis: In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.

Hinc ergo ad lectionem alicujus capitis Corani, seu, ut vocamus, Alcorani, & consequenter ad aliorum librorum lectionem promovent studiosos, qui plurimos in hoc consumunt annos.

CAPUT SEXTUM

De scribendi varietate, seu de variis scriptura Turcica generibus, aliisque ad orthographiam pertinentibus.

Præcipua scripturæ Turcis usitatæ genera sunt sequentia
P *neschî* نَسْحِي (*neschî* vocat Erpenius) quo Alcoranus, & plerique historici libri scribuntur, apud nos libri excuduntur.

ta-lyk تَلْيِك, quo Persæ & plerique Doctores, Judices, Poëtæ Turcarum utuntur, quique ad *neschî* نَسْحِي se habet, ut typi Hebraici Henrici Petri, ad typos Plantinianos aut Bombergianos, cujusque est species altera, quæ vocatur *sekste* شَكْسْتَه, q. fractum *ta-lyk*, quod alias *kyrma* قَرْمَه dicitur.

diwânî دِيْوَانِي, q. forensis, Ital. *Cancellaresco*, quippe quo in forensibus & quotidianis negotiis Turcæ utuntur, maximè cum Turcicè scribunt, habetque se, inquit Erpenius, ad *neschî* نَسْحِي, ut Masket Hebræorum ad scripturam Assyriacam. Ad hujus scripturæ elegantiam pertinere videtur, quòd lineæ in progressu ascendunt, maximè versus finem; rarò enim quid hæc scripturâ expressum videas, in quo id non contingat. Hoc autem genus scripturæ, si majus sit, inquit Seaman, dicitur *diwânî gelli* دِيْوَانِي جَلِي, sin minus, *diwânî ghubâr* دِيْوَانِي غُبَار (*diwânî gelli, ghubâr.*)

vel *sülsî* سُلْسِي (*sülsî* vocat Erpenius) in titulis librorum & diplomatum Regionum adhiberi solitum, habetque se ad *neschî* نَسْحِي, ut majusculi seu versales illi characteres, quibus librorum tituli apud nos excudi solent, ad characteres communes. Literæ enim eadem sunt, quæ *neschî* نَسْحِي, aut *diwânî* دِيْوَانِي, sed multò majores & pinguiore mirèque elegantibus ductibus cohærentes. Sunt enim Turcæ καλλιγραφίας studiosissimi, quod maximè in titulis librorum, diplomatibus & literis Imperialibus ad Principes externos exaratis ostentant, non solùm literarum ductûs & nexûs mirè componendo, sed & auro variisque coloribus depingendo.

Est præterea *kyrma* قَرْمَه quasi scriptura fracta uniuscujusque generis, fitque non observatis illis ductibus literarum ad regulam, unde vulgaris scriptura dici posset. Eo autem utuntur præcipuè in tabulis accepti & expensi, & in omni Camerali registro. Literis constat

constat exiguis puncta plerumque diacritica sibi affixa non habentibus, nec sæpe invicem debite connexis, unde oritur maxima illam legendi difficultas.

Et hæc sunt, quæ præcipuè usurpantur in Aula Imperatoris Turcarum atque in diplomatis Regiis. Cætera scripturæ genera, ut *محقق* *muhakkak*, *طومار* *tümâr*, *سرنكيل* *sirengil*, *ياقوتى* *jakûti*, *ريحاني* *rîhânî*, aut, ut *Erpenio* *راهنى* *râhenî*, aliaq; tanquam minus necessaria ultro prætereo. Soli enim scripturæ *نسخى* *neschÿ* tanquam præcipuè & primariæ conformatos habeo typos, ut vides.

Sciendum autem Arabes occidentales seu Mauros alium alphabeti ordinem servare nempe sequentem:

ا ب ت ث ج ح خ د ذ ر ز ط ظ ك ل م ن ص ض ع غ ف ش س ه و ل ا ي

Ubi nota, transponi post *ك* *kaf* *ش* *sin* & *س* *sin*, cui etiam tria puncta subjiciuntur; item literam *ف* *fe* unico inferiori puncto notari, *ب* *kaf* verò unico pariter superiori *ف*, quâ quidem notâ certò dignosces codices eorum ab iis, qui in Oriente exarati sunt.

Observandum quoque est, in omni genere scripturæ literas *خ* *ح* *ج* hoc sibi peculiare habere, quòd dum præcedenti literæ annectuntur, ne infra lineam deprimantur, elevent omnes literas præcedentes ejusdem dictionis; quod etiam sæpe accidit literæ *م* *mim*, cum præcedenti literæ supponitur, aut *ق* subfuitur, ut in exemplis huc usque allatis patet, & in *تقف* vel *طقف* *takmak*, *tykmak*, *tykamak*, quorum significationem habes in *Lexico*, *محمد* *muhammed*, Mahometes: *تصحیح* *tashÿh* emendatio, complanatio, &c.

Sciendum præterea in scriptione, ad distinctionem periodorum aut ad designanda nomina propria nullum esse majuscularum, aut, ut vulgò, versalium usum, nec nisi rariùs, ut in Alcorano paucisque aliis spiritualibus libris adhiberi notam aliquam, v. g. * & © ∴ adeoque vix relinqui ullum interstitium inter dictiones, aliàs suis tantùm finalibus discriminandas. In literis tamen ad Principes scriptas videmus aliquando distinguì periodos, interjecto aliquo majori spatio. Aliàs, in libris præsertim, continuatè omnia scribunt, & capita solummodò distinguunt titulo capitis scripto literis rubris aut deauratis, absque eo quòd à capite, ut nos loquimur, incipiant.

Sciendum postremò circa orthographiam, quòd nunquam boni Scriptores separent dictionem, nedum syllabam in fine lineæ, sed si dictio in fine lineæ scribenda satis loci non reperiat, inflectitur superiùs scriptura ita ut litera non excedat marginem, aut ultimæ etiam superponuntur prioribus, sic e. g.

ق *الحياء يمنع التزك* *el hejâ jemne-ür ryzk*. Verecundia prohibet largitionem, impedit ne diticas; aut certè admittit inter inconnexas grandius spatium, ac inter eas in duas partes secatur, quarum prior lineam reliquis adæquat, posterior in margine ponitur, ut *العالم عرف الجاهل لأنه كان جاهلا والجاهل لا يعرف العالم لأنه لا كان عالما* *el âlimü ârefel giâhile li ennehu kâne giâhilen, vel giâhiliü lâ jâriful-âlime li ennehu lâ kâne âlimen*. Doctus novit doctum quia indoctus fuit; sed indoctus non novit doctum, quia doctus non fuit. Si autem dissectionem hujusmodi dictio aliqua non admittat, tota initio sequentis lineæ reservatur, & ad lineæ complementum, præcedentis alicujus dictionis vinculum aliquod producitur in hunc modum

افصب على الانسان معرفة نفسه *af-âbü âlel-insâni mârifetü nessibi*, Difficillima homini est sui ipsius cognitio. Quæ vinculi productio in principio aut medio lineæ etiam interdum adhibetur ornatùs gratiâ maximè in trito illo *بسم الله الرحمن الرحيم* *bismillâhîr-rahmânir-rahÿm*. In nomine Dei misericordis miseratoris.

Neque invenies ferè usquam in libris Turcicis ullam abbreviationem præter *ع* *pro* *عليه السلام* *âlejhîf-selâm*, salus, vel pax sit super illum, quæ verba ferè semper adhibent postquam nominarunt aliquem ex Prophetis. Aliæ enim perpaucæ pertinent ad libros Arabicos, ut in Alcorano, quæ vide apud *Erpen. Guadagn. Maggio, &c.* Ad designandos tamen menses utuntur aliquando Turcæ in suis schedis literisque abbreviatione, subscribunt nempe numero dierum literam unam aut binas ad denotandum nomen mensis, quo quid scriptum aut factum est, ut pro *محررم* *muharrem* subscribunt tantùm literam *م* *mim*:

pro

pro صفر *sefer* ص *sad*: pro ربيع الأول *rebi-ül-ewwel* ر, ra: pro ربيع الآخر *rebi-ül-achyr*
 ر *re*: pro جمادى الأولى *gemaziül ewwel* ج *gin*: pro جمادى الآخر *gemaziül achyr* ج
gin: pro رجب *regeb* ب *be*: pro شعبان *šā-bān* ش *šin*: pro رمضان *remezān* ن *nun*:
 pro شوال *šewwāl* ل *lam*: pro ذي القعدة *zil-kā-de* ذ *za*: pro ذي الحجة *zil-hyǧge* ذ
zal:

Quomodo autem legi debeant in constructione Turcica assumptæ dictiones Arabi-
 cæ & Persicæ, dicam infra.

Turcicæ dictiones semper terminantur consonante, nisi exprimatur vocalis
 per literas و *waw*, ا *elif*, ي *je*, aut per finalem o a hæ suam aspirationem
 amittente. In fine autem commatis, seu quando terminatur lectio, saltem ad pausam, tunc
 Turcæ in legendis Arabicis nunnationem ة *en*, in, ün, aut vocalem ة *e*, i, ü ultimæ
 vocis non exprimunt, ut in superiore exemplo legitur *rahým*, non *rahými*; unde fit, ut
 cum Arabica sunt mixta Turcicis & adhibita Turcicè, nullam habeant vocalem aut nun-
 nationem in ultima, sed acutè proferantur, ut دولة seu دولت *dewlet*, رعاية *ry-âjet*;
 immò, ut jam innui, sæpe illud *te* tollunt in legendo, & ejusdem ä ö ð duo puncta in
 scribendo omittunt, & عاية *ry-âje* legunt; unde etiam in Accusativo Arabico ا *en*, de-
 munt sæpe vocalem seu illam nunnationem & legunt ä, ut pro اصلاً *æslen*, legunt &
 scribunt اصلاً *aslā*, planè, radicitus, & in fine commatis Arabici سماعاً و طاعة *semān we*
tā-â, pro *tā-âten*, de quo etiam suprâ.

CAPUT SEPTIMUM.

De permutatione literarum inter se, & de quantitate syllabarum.

Literas in Arabicis ا و ي esse naturâ suâ inter se commutabiles, diximus suprâ, &
 id *Erpentus* in *Appendice primi libri Grammaticæ suæ Arabicæ* fusè explicat, ut &
Wasmoth Cap. 3. *sue Grammaticæ Arabicæ Amstelodami excusa*, nosque hujus
 mentionem faciemus, cum de verbis Anomalis Arabicis agemus.

In Persicis affines sunt literæ ب *be* cum و *waw*: پ *pe* cum ف *fe*: ت *te* cum
 د *dal*: د *dal* cum ذ *zal*: ف *fe* cum و *waw* & ب *be*: س *sin* cum ش *šin*:
 adeoque modò hac, modò illâ utuntur in vocabulis exprimendis literâ, sic آب *âb*, aqua,
 scribitur etiam او *aw*, aqua, پیل *pil*, elephas, فیل *fil*, idem, پدر *peder*, pater,
 پدر *pezer*, idem, &c.

In Turcicis ت *te*, د *dal*, ط *ty* sunt affines & inter se facilè commutantur,
 ut دورمق *durmak*, stare, æquè bene scribitur طورمق *durmak*: داغ *dagh*, mons, &
 طاغ *dagh*, idem: دولو *dolu*, plenus, & grandis, طولو *dolu*, idem, توتمق *tutmak*,
 & دوتمق *tutmak*, tenere, capere; sic ایتمک *itmek*, tacere, mutato ت *te* in د *d*,
 ایدرم *iderum*, faciam, non ایترم *iterum*. Sed de his in declinationibus nominum & conjuga-
 tionibus verborum.

Accentus in Turcicis, Arabicis & Persicis nulla est nota, nec observatur in purè Tur-
 cicis extra carmen quantitas nisi positionis, quando videlicet syllaba terminatur conso-
 nante, & altera immediatè sequens incipit à consonante, ut برقمق *brakmak*, projicere,
 quod etiam Doctiores efferunt quasi *birakmak*. Nam rarò incipit syllaba duplici conso-
 nante, unde ad efferenda nostra vocabula à duplici hoc modo consonante incipientia, ad-
 dunt inter utramque consonantem vocalem, quam tamen brevissimè efferunt, e. g.
 خریستیان *chyristiān*, Christianus, فرانچہ *firançie* seu *firançie* (Docti enim o a
 be finale otiosum, sive etiam Dativi nota sit, sive Arabicum pro ö ä ferè nunquam aliter
 pronuntiant, nisi ut e) aut certè præposito ا *elif* dividunt illas duas consonantes hoc mo-
 do, pro voce Polonica *Leópolis* / *Leopolis civitas Russiae*, scribunt الوو, & legunt *ilwuw*:
 pro *Stiria* dicerent استریا *istiria*, &c. Quòd si duplici consonante finiatur dictio, eâ-
 dem ratione interjiciunt brevissimè prolatam vocalem, ut pro علم *ilm*, dicunt *ilyim*, scien-
 tia, in dativo, v. g. علمه *ylme*, scientiæ, اوغل *oghul*, filius, اوغلم *oghlum*, filius meus;
 Sic pro Germanico *nichts* / quod Gallus effert uti *nix*, scribunt & legunt Turcæ نقس *ni-*
kys